

9.  
**THESES,**

QUAS

**IN EXERCITIUM STIPENDIARIORUM  
AD ACADEMIAM IMPER. ABOËNSEM**

**VENIA AMPLISSIMÆ FACULT. PHILOS.**

**PUBLICÆ PROPONIT**

**MAG. CAROLUS REGIN. SAHLBERG,**

**HISTORIÆ NATURALIS PROFESSOR.**

Respondente

**ADOLPHO WILHELMO WEGELIO,**

**STIPENDIARIO PUBLICO, ABOËNSI.**

**In Auditorio Philosophico die II Decembris MDCCCXX.**

**horis a. m. solitiis.**

---

**ABOË, Typis FRENCKELLIANIS.**



*Thesis I.*

Quam in numerum animalium, sub diverso cœlo viventium, eandem quoque in magnitudinem illorum exercet vim, diversum Climatis temperamentum. In calidissimis nempe mundi plagis, ut plurimæ, ita maximæ in univèrsam, ex quavis Classe vel Ordine inveniuntur animalium species.

*Thes. II.*

Quin immo a Zoologis non admodum raro observatum est, ex speciebus uni eidemque generi relatis, illas, quæ calidiores inhabitant terras, frigidiorum regionum incolas magnitudine superare.

*Thes. III.*

Quamvis ab hac regula generali illa aberrant animalia, quæ aquis marium continuo immerfa, & imprimis quidem quæ in fundo vitam degunt, quorumque maximæ species in Oceano septentrionali quoque habitant; exinde tamen influxum caloris in magnitudinem animantium nemo in dubium vocabit, qui temperaturam in profundo aquarum omnibus exemptam vicissitudinibus nullisque obnoxiam anni tempestatibus esse, perpenderit.

*Thes. IV.*

Cum autem Crustaceorum, Testaceorum cæterorumque animalium aquaticorum, quæ vel in superficie maris, ubi tem-



temperatura aquæ a sole mutatur, versantur, vel in siccum interdum ascendunt, majora in zonis calidioribus reperiuntur genera, quam quæ ad littora adrepunt borealia, novum inde, pro demonstranda caloris in magnitudinem animalium vi, accedit argumentum.

*Thef. V.*

Quemadmodum ad omnem organismum, tam animale quam vegetabilem, sustentandum, quidam requiritur gradus caloris, ita etiam aer atque aqua ad vigorem & vitam animalium maximum adferunt momentum.

*Thef. VI.*

Sunt vero hæ vitæ conditiones non eadem lege utraque, sed hoc ut plurimum pacto, ut altera alterius inversam sequatur rationem, animalibus necessariæ. Sic quæ uberiori aëris copia semper opus habent, aqua facillime carere possunt, & contra, quæ aquis perpetuo innatant, minima aëris egent portione.

*Thef. VII.*

Si autem Organismum animalium plus minusve perfectum respexeris, hæc in genere, qua necessitas aëris & aquæ determinetur, proponi potest regula: quo perfectiori animalia instructa fuerint organisatione, eo majorem desiderant aëris copiam, eoque rarius aquas adire necesse habent, quo inferior vero & simplicior fuerit illorum organismus, eo pertinacius aquæ immerfa vivunt, eoque parcius iisdem sufficit aura,

*Thef. VIII.*

Facultates inter, quæ Regno animali & vegetabili sunt communes, vis illa singularis, reproductionis nomine insignita, qua partes membraque deperdita restituuntur regeneranturque, haud infimum occupat locum.

*Thef.*

*Thef. IX.*

Est autem hæcce vis reproductionis in animantibus infimæ organisationis, ut in Polypis, Radiatis, Annullatis, Molluscis &c. maxime conspicua; minus efficax cernitur eadem in Insectis & Piscibus, atque admodum exigua quidem in animalibus, quæ sanguine prædita sunt calido, quorumque Organismus perfectior ad functiones vitæ nobilioris peragendas instrumenta suppeditat.

*Thef. X.*

Neque eundem semper in uno eodemque animali servat tenorem vis reproductionis. Nobiliora nimirum animalia in eo vitæ stadio, quo inferioribus quadantenus sunt similia, majori gaudent partes deperditas restituendi facultate, quam ubi organismus ipsorum perfecte fuerit explicatus.